

PETRUS VENERABILIS

CLUNIACENSIS ABBAS NONUS

NOTITIA HISTORICA


(*Gallia Christiana nova*, t. IV, col. 1137)

Petrus I Mauricii de Montboissier, cognomento Venerabilis ob eximiam divinarum et humanarum scientiarum cognitionem cum insigni vitæ probitate conjunctam, inter cœnobiarchas Cluniacenses summo præconio celebrandus venit, qui vetusta æque ac nobili de Monte Buxerio prosapia in Arvernensis editus erat, septimus filius Mauricii domini de Montboissier et Raingardis, postea Marcigniaci sanctimonialis, cujus mortem an. 1134 cum ipse rediret a consilio Pisano, sibi nuntiatam docet epist. 17 lib. II. Pii conjuges pie ac religiose filios instituerunt, quorum alter Heraclius fuit archiepiscopus Lugdunensis, Pontius Vezeliacensis et Jordanus Casæ-Dei abbates, Armannus prior Cluniaci, indeque abbas Magnilocensis, et hic Petrus, qui sub B. Hugone religionis magna laude tirocinium posuit, tum prior Vezeliacensis, ac tandem Hugone II defuncto 9 Julii 1122, assumitur in abbatem ætatis anno ferme 30, in octavis Assumptionis B. M. Virginis, die 22 Augusti et a Bisonticensi præsule benedicitur, uti probant ipsius electionis acta ex codice Celsiniacensi, tom. IV ms. Fragmentorum historic., fol. 51, a nostro D. Claud. Estiennot inserta.

Exinde vero Petrus nunquam non se ministrum dignissimum præbuit. An. 1123, iv Nonas Aprilis, Honorius II papa sui pontificatus anno primo, indict. III, insigne privilegium ei concessit, editum tom. X Concil. pag. 910. Ac vicissim hujus sancti abbatis fides ac studium erga sanctam sedem enituit anno 1130, quando Innocentio papæ II in Galliam adventanti misit obviam sexaginta equos aut mulos stratos, quibus papa, cardinales, et qui erant in ejus comitatu libere uterentur, quamvis hujus pontificis æmulus Anacletus fuisset Cluniacensis monachus, et alias electionem suam ad S. Petri cathedram non usquequaque spernendis rationibus tutaretur. Tunc papa per dies undecim Cluniaci mansit, ubi basilicam, quæ adhuc exstat, sub titulo S. Petri consecravat die 25 Octobr., eo ipso quo jam pridem Urbanus II majus altare consecraverat. Anno 1132 habuit capitulum generale, in quo

PATROL. CLXXXIX.

numerati sunt ducenti priores, cum quibus decreta quædam promulgavit ad regularem disciplinam jam collabentem muniendam. Insequenti sui regiminis anno XII, ratam habuit permutationem ecclesiæ Montis Martyrum cum ecclesiâ S. Dionysii in carcere: quo etiam anno, vi Nonas Martii, Innocentius papa II, sui pontificatus tertio, indict. XI, ei diploma protectionis indulsit. Sub eodem pontifice interfuit concilio Romano seu Lateranensi secundo an. 1158, ab ipso subinde pluribus epistolis cohonestatus, 28, 29, 31, 33, etc. Carus etiam fuit successoribus ejus, Cœlestino II, qui de sua ipsum electione certum fecit, Lucio II, Eugenio III et Adriano IV, qui ad eundem scripsere. An. 1144, Idibus Maii, Romæ astitit Lucio II bullam danti pro subjectione Dolensis Ecclesiæ erga Turonensem. Idem post biennium omnia statuta numero 76 a se facta per annos 24 in unum corpus collegit, et observari præcepit. Nec dubium est quin ipse sit abbas Cluniacensis, designatus per litteram P. qui cum Brocardo priore Silviniacensi quingentas marchas argenti Aymonis filio Jerosolymam cum Ludovico Francorum rege ituro commodavit, quas Archimbaldus et uxor ejus Agnes comitissa juraverunt super altare S. Maioli, multis præsentibus, se reddituros, an. 1147, ex tabul. Silviniacensi. Petrus quoque non mediocrem a discipulis mutuatur laudem, *gloria patris filius est sapiens*. Duos ex multis appellabo. Algerum canonicum Leodiensem, multis scriptis celeberrimum, ac in primis tractatu eximio *De sacramento corporis et sanguinis Domini adversus Berengarium*, qui eo ferme tempore, quo Petrus electus est abbas, in eodem cœnobio monasticam vitam amplexus est, ac post decem annos in magna vitæ innocentia et humilitate transactos, obiit an. 1130 vel 1131. Alter est Petrus Abælardus tandiu jactatus, quem tandem Cluniaci monachum a Petro abbate susceptum, salutis portum ac tranquillitatis reperisse palam est; quo tempore, inquit, Sancti marthani, in cœnobio degebant 460 monachi, cum tamen ipse Petrus asserat trecentos tantum existi-



tisse, eum ad regimen accessit, adeoque floruit sub eius regimine ordo Cluniacensis toto orbe Christiano propagatus, ut etiam in valle Josaphat et in monte Thabor monasteria possideret. An 1153, ind. 1, tertio Idus Junii eidem abbati ad ipsius preces Fridericus, Romanorum, rex diploma concessit, quo tum donatio Balmensis coenobii, tum aliarum possessionum Cluniacensi Ecclesiae facta roboratur. Ipse vero Petrus abbas anno seq. ecclesiis Cluniacensibus in Italia constitutis indulgentiam praebuit, teste subscripto Arnaldo Aureliacensi abbate.

Porro non solum moribus et doctrina clarissimus fuit, sed et suis aliorumque scriptis notissimus, uti manifeste declaratur tot elogiis eruditorum, inter quae illud Petri Pictaviensis ejus notarii retulisse consentaneum est, ait enim ad ipsum scribens: « Quis unquam Plato subtilius, quis Aristoteles argumentosius, quis Cicero pulchrius aut copiosius aliquando quidquam disseruit! Quis grammaticus instructor, quis rhetoricus ornatior, quis dialecticus fortior, quis arithmeticus numerosior, quis geometricus regularior, quis musicus cantilenosior, quis astronomus perspicacior exstitit! sed et si de sanctis patribus aliquid dicere audeamus, vos ab unoquoque quatuor fluminum paradisi, quae post sanctos evangelistas totum orbem irrigant, aliquid simile reportastis: quia cum Hieronymo velox, cum Augustino profusus, cum Ambrosio profundus, cum Gregorio clarus inceditis. » Vitam Petri abbatis, elogia scriptaque habes collecta, tom. XXII biblioth. Patrum Lugd., pag. 812 et seqq. Quod autem inter praecipuos saeculi sui doctores emicuerit, testes sunt ejus libri contra Judaeos, Mahumetanos, Petrobusianos, pro asserenda Christi divinitate, sex libri epistolarum, quibus praeter vulgatas adde tres alias magni momenti, quarum meminit vir clarissimus D. Fleury in Hist. ecclesiast. tom. XV. At forte nonnullis mirum videbitur inter illa opera inveniri Alcorani versionem, quam fieri a pluribus doctis viris procuravit, cum in Hispania lustrandis et visitandis ordinis sui monasteriis moraretur. Verum non alio consilio

illam publicavit, quam ut pseudoprophetae Mahumedis deliramenta et somnia refutaret, quod et praestitit. Vide Chronicon Alberici ad an. 1143, pag. 301.

Denique functus abbatis praefectura annis 35, mensibus quatuor et quatuor diebus, Cluniaci 1158 beato fine ad superos transfertur Kalendis Januarii ex Roberto de Monte, seu potius prima die anni ex chronico Cluniacensi, apud Miraeum in Originibus ordin. S. Bened. pag. 93. Sed annum incepisse a die Natali Domini illinc patet, quod ibidem, pag. 96 obiisse dicitur ipso die Natalis Domini, sive VIII Kal. Januarii, quo die inter sanctos reponitur in Martyrologio monastico Benedictino. Conditur ibidem ab Henrico Vintoniensi episcopo, fratre Stephani regis Anglorum, juxta altare SS. Jacobi et Philippi, sive, inquit Miraeus loco citato, in capite majoris et novae basilicae; qui quidem Petrus, ut ibidem notatur pag. 94, ecclesiam Cluniacensem gravi aëris alieni pondere oppressam, prudentia et expensis suis, omni fere debitorum allevavit onere; ita ut tam in persolutione debiti, quam etiam in reparandis possessionibus, necessariis etiam rei familiaris comparandis, sicut ex ore ejus audivimus, plus quam septem millia marcharum argenti expenderit. Tale ipsius epitaphium legitur in *Bibliotheca Cluniacensi*.

*Patet in hac urna quod non sit vita diurna,
Qualescunque sumus, morte coequat humus.
Dum Petrus moritur pius abbas, jus sepelitur,
Pax cadit, ordo jacet, flere morique placet.
Ille salus patriae, mundi decus, arca-Sophiae,
Nescius invidiae, vena fuit veniae.
In Natale Dei sollemnis mane diei,
Mortuus obtinuit plurima quae nescit.*

Præter monachum Pictaviensem, Petri abbatis meminere etiam S. Bernardus Clarævallensis, Sugerius S. Dionysii et Petrus Cellensis abbates, quorum ad eam et hujus vicissim ad ipsos epistolae plurimae exstant, Robertus de Monte, Matthæus Paris, Baronius in Annalibus, cæterique virorum illustrium scriptores ecclesiastici, qui fusissime proferuntur in notis ad *Biblioth. Cluniacensem* ab Andrea Duchesne editis.

NOTITIA LITTERARIA.

Petrus Mauricius Monböiserius, cognomento *Venerabilis*, ord. Bened., abbas nonus Cluniacensis ab A. 1122 ad 1156. Ejus Vita scripta a Radulfo monacho, ejus discipulo, ad Stephanum abbatem Cluniacensem, prodiit in Edmundi Martene tomo sexto Monumentorum, pag. 1187-1201. In Andrea autem du Chesne *Bibl. Cluniacensi*, Paris. 1614, fol. occurrit pag. 589 ejusdem Vita ex veteri Chronico.

Vita Petri abbatis, ex Chronico Cluniacensi, et

pag. 602 Veterum de eo testimonia, S. Bernardi epist. 277 et 283 Roberti de Monte, Matthæi Parisii, Henrici de Gandavo, cap. 29; Nicolai de Clamengis, Joannis Trithemii, cap. 418 de S. E., et II, 123, illustrium Benedictin. et aliorum, inde pag. 607 Petri Pictaviensis monachi Epistola ad Mauritium, Panegyricus versibus elegis dictus in primo adventu Petri abbatis in Aquitaniam secundam, et Invectiva in calumniatorem pag. 616 et tom. XXII *Bibl. Patrum Lugd.*, pag. 820. Epistola altera ad